...tinus

Caroli Sidus immortalis gloriae

S

IM

Et ad

DIV

Episc

D.

W

S. Th

CANO

Canc

f

CO

In vim

M.

Conuer

Anno In

CRA

P

SIDVS
IMMORTALIS GLORIÆ FVLGENTISSIMVM.

Et ad Festiuam Annuæ Celebritatis Diem,
DIVI PATRIS AVGVSTINI,
Episcopi Hipponensis, Ecclesiæ Doctoris,

Perillustri & Reverendissimo Domino,

D. AUGUSTINO
WOLSKI,

S. Th: Doctori, Protonotario Apostolico,
CANONICO Camenecensi, PRÆPOSITO S. HEDVIGIS,
Canonicorum Regularium SS. Sepulchri Hierosolymitani Conuentûs Miechouiensis,
COMMISSARIO GENERALI,

In vim Clientalis Obseruantiæ, & debiti Cultûs perenne argumentum, Panegyrico applausu, Officiosissimè

DEDICATVM.

A

M. CAROLO CZAPLINSKI,
Conuentûs Miechouiensis Professo, & in Alma Vniuersitate Cracouiensi, Philosophiæ Doctore,

Anno Incarnatæ Sapientiæ, M.DC.LXXXIV. Die 28. Augusti.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.
Permissu Magnifici D. Rectoris.



Splendida Stellantis moderatrix Cynthia noctis,
Fulgida tela iacit, fulgur ab Axe poli:
Vnica certa salus Orbis CRVX, *sanguine tincta,*
De Cælis Nobis Arma Salutis tulit.

IM

N

quam

ad

ad Fe

pa

omnem

N

Tua h

in pro

Scilic

quem



SIDUS
IMMORTALIS GLORIÆ FVLGENTISSIMVM.

NVnc primùm fidem dare expedit
quam non frustra vetus illud Memnonis marmor,
ope Mironis Dædaliuè fabricatum,
toto euiscerati pectoris nisu,
ad inquilinum Phœbi emergentis jubar laboraret,
& confuso Saxei Oris nutaret argumento.
Dùm mihi etiam hodiè,
cui melior finxit præcordia Titan,
Immensa SIDERIS TUI amplitudo,
ad Festam Augustanæ diei Solennitatem,
par titubantis negotii facessit discrimen,
Cuius dispendiosâ recordatione,
omnem prorsùs quantumuis deuinctißimi pectoris conatum,
silentii omninò neceßitas teneret.
Nì benefico suo influxu, ac inclinatione
Tua hæc Auiti Decoris interpres Aurora,
quæ semper Musis amica est,
in profundam Celsi Nominis Tui Venerationem
Calamos, ac ora tenerrimè vrgeret.
Scilicet odisse profanum vulgus silentii opus ille habet,
quem hæc, (è voto Anzelmi) in præconia stimulat lingua,
cuius beneficio
Cælum etiam disertum est.

 Loquun-

Loquuntur Astrorum Oracula, humanis rebus exitus
Lætos, æquè ac ferales,
Regnis, Vrbibusq́; successus innuunt lacrymabiles,
Tuum istud, nulli ferales, nemini non serenos, indicat dies:
Nec humentes (quod Astris natiuum est) extorquet guttas.
sed Gemmas,
quibus immortalitatis Tuæ Coronam distinxisti.

Hoc solo Artis Tuæ Miraculo,
quod cùm cætera mæstißimis noctium præsideant vmbris,
Augustum verò TUUM SIDUS,
accendit meliore diem lucemq; sereno.
Obseruet in reliquis Lynx Matheseos funestos non rarò defectus,
Lux Tua omnis vicißitudinis expers,
pleno semper fulget Obryzo.
Habet etenim è vicino Solem, vnde tàm speciosam mutuet lucem.
Hausisti medullam Pectoris Aquinatici,
vbi arcano Diuinæ jucunditatis gustu,

Manna absconditum,
omnemq; Cælestis Scientiæ dulcedinem,
velut è CornuCopiæ, ac diuite Penu,
Gemmas pulchrarumq; Cimmelia rerum,
odoratissimos omnis elegantiæ flores,
Puniceum Rosarum decus,
compendiosissimè Tuam in amusim traxisti; adeò,
vt in pectore Tuo nouos, Orbis, Hybleti stuperet dulcores,
quibus auidam posteritatis famam satiabis.
Lucem verò, quâ Orbem illustras Sarmaticum,
quantam ex illo Cælestis Sapientiæ fonte deriuaueris;
Agnouit id, primum Orbis illud Oraculum, Vrbium Regina, Roma,
dum virtutem Tuam, Cælo parem, caputq́; summis nonnisi
destinatum negotiis,

Laureâ Theologicâ insigniuit.
Digniβimum vt potè; Serto triumphali denuntians,
qui æternitatis Circulum fueras complexurus.
Concesserat augustam Magno Nomini Tuo Sedem,
Laureis victricibus, ac palmis plenam,

Capi-

Capitolinus ille Anſer,
qui Magnitudinis Tuæ Spectator,
Raucum clangorem, ac ſtrepitum abrupit,
Dum Te Sarmaticum Olorem
Mellito Suadæ lenocinio,
ác pulcherrimo quodam Virtutum meritorumq; concentu,
Roſtra Arpinatica, Latiaſq; Cathedras
Triumphantem intueretur.
Quot ibi paſſus, tot Laurus, ac Roſas,
in Coronamentum capacis gloriæ Tuæ, ſuccreſcentes,
Triumphali Calcaneo produxiſti.
Vt non ſolius, poſthuma, Iulij, ſeſe jactitaret fama
manu, ac gladio eam ſibi ceſiſſe meſſem,
ad quam potiori omine
Ingenij, linguæq; Tuæ poteſtas, jus erat habitura.
Correxiſti perſuaſam de ingeniis Polonorum Latii fidem,
Dexteritatis Tuæ argumento,
acſi ſub Ioue frigido
ipſos tantùm gelidus Septemtrio pareret Scæuolas,
qui foco tantùm manus, non linguas luci publicæ commodarent.
Cùm in Te,
Nouum Sedes Vaticana, ſpectaret AUGUSTINUM,
qui arctiſſimo pietatis ac Sapientiæ zelo,
Cor gerebas inflammatum.
Et quoniam neſcit ſolitario incedere paſſu,
trabeata veræ Sapientiæ Maieſtas,
ideò poſt Coronas Theologicas,
proximo Jure ſuccedit Galerus Protonotarialis.
Qui vel ideò Tibi obtigit,
vt parem ſemper Purpurato Honori,
Indolem Tuam demonſtraret.
Hinc, profuſi illi, ac defluentes purpurei ligamentorum nexus,
Gordios Tibi implicabant nodos.
Quos Tu Laureatus Victor,
maturâ ſemper ingenii Tui dexteritate reſoluebas.
Quis

Quis demùm in illa Sacrorum Insignium concatenatione,
Catenam Tibi auream,
Herculis Gallici non præsagiebat?
Quâ pulcherrimam tot titulorum Honorumq; seriem,
ad nutus Tuos, iam pridem captiuâsses,
nisi Tuorum Te satietas,
à tam ingentibus Votis reuocaret.
Rediisti è famosissimis illis Regionibus,
ad Lares Patrios,
Laureis & Triumphalibus Palmis onustus,
Nec solus,
sed grandem ac fulgentissimum Tecum virtutum,
factorumq; reducens iubar,
ibat pari passu ac longo ordine
Celebris commendationum Tuarum famulatus.
Plaudebant felici omine viarum aditus,
exultabat præ gaudio vel maximè Miechouiēsis noster Conuentus,
Tuum Te ex Vero salutans Athlantem,
è cuius humeris, tota breui moles pendere debuerat.
Nec longo post interuallo
Commissarii Generalis Onus Tibi obtulit
vnanimis Votorum consensus.
Ita profectò! in Te, digna illa eminere Virtus,
quâ, vt nihil maius, ita omnia infra erant,
inter quorum meritam comparationem,
eruditionis, factorumq; Tuorum intercessit calculatio.
Illius etenim arbitrio subsit, quidquid inferiùs esse videtur.
Coronauerat Tuam hanc præcelsi animi magnitudinem
ingentibus Elogiis,
Verus ille Sarmatiæ Cyneas,
Patriæ Oraculum, Exterorum Stupor,
Augustum, Conuentûs Nostri Miechouiē: ac singulare ornamētum
Illustrissimus olim ac Reuerendissimus Dominus,
D. PETRVS Comes de Pilca
KORYCINSKI,
PRÆPOSITUS Generalis Miechouiensis, &c. &c.
Cuius

Cuius Tu Consiliorum Cor, & Anima habebaris,
viuum votorum eius receptaculnm.
Coronat hodieq; non mutâ Panegyri,
eximios pectoris Tui Sensus
Illustrißimus ac Reuerendißimus Dominus
D. IOANNES STANISLAVS
â SBASZYN
SBASKI
EPISCOPVS PRÆMYSLIENSIS,
Præpositus Generalis Miechouiensis
Senatus Lechici Medulla
Os, ac Pupilla Oraculorum,
cuius Tu animo, idem quod Alexandro Ephestio
Æneæ Achates.
Ita Tu, per Summorum Capitum fastigia,
Cælo coruscus emines,
Terrenum propè excedis commercium
humiq; serpere nescis,
cui fauor, & amor Principum addit alas.
Sed quid? confundit Ordinem dicendi
Illustris Gloriæ Tuæ Magnitudo.
Pertinebat nimirum ad felicitatis Tuæ Complementum,
Camenecensis Eminentia Canonicatûs
Vt ibi, Regulare saltem, ac Religiosum plusquam Pario
lapidi inscriberetur
Nomen Tuum.
Vbi, Omnis Religio
Barbaris prô dolor! pedibus conculcata iacet,
nec sanè vacuus ille Honoris Tui Titulus
quem proxima Spes successibus
DEO Auspice fortunatis,
Vlteriorią; lætitiæ prouentu recreabit.
Figes Tu primus, ibi Cælo Duce
B Inui-

Inuicta verò, Monarchæ Lechici,
Dexterâ; miracula Operante,
Solimæi signum Trophæi,
Purpureum inquam Crucis Sacratissimæ Ornamentum
Quod in promptu pectoris geris
Strennuus Christi Bellator,
figes ibi claram Regis Regum victoriâ amplitûdinem,
& in optatæ tranquillitatis securam Columnam Terminalem
ad Cuius Conspectum
Odrysia immanitas
Funestum sibi ingeminabit.
Non plus vltra.
Restituentur Sacra Diuorum Atria
Aræ Cruentæ Tuæ
Ad quàm Cæli victima
Agnus Immaculatus
In holocaustum Sanguinis
Pro mundi Salute oblatus est.
Exturbabitur suas proscripta in tenebras,
Luna Othomanica,
Exorietur Sol Iustitiæ in diebus pacis
Auito Sidere Tuo Comitante.
Sed quò Calor abripit vota?
Nùm mens præsaga boni
Tuis sub Auspiciis bono Omini Studet?
Ita profectò, cui non optima faciet præsagia
felicissimus rerum Tuarum euenius.
Qui hactenus per immortalia rectè factorum
Monumenta actus
Vix vnam sine linea prætermisit diem,
Quàm nouo gloriæ Specimine non insigniret.
I ergo! Lacteam Omnis fortunæ viam,
Sidus Gloriæ Fulgentissimum

I, quo

I, quo Tua Te vltrò euehet virtus,
Inflamma Calore Tuo Cunctorum Corda
Quæ in Nostri Patris AUGUSTINI manibus
Ceu faces ardentissimæ
Spei sint indicia fortunatæ.

VOTVM CLIENTALE

Dispereant subitò discussæ turbine Nubes
Mæroris vndas quæ super voluunt truces.
Abscedat ferale nefas, Fatiq; procella,
In delicatum subsidat Pontus sinum.
Effudat gemmas niueo fulgore serenas,
Euisceratis spumet æquor Censibus.
Nimirùm fortuna gradu meliore reuersa,
Intrat beatos, WOLSCII *nostri Lares.*
Et cæcos reparat celeri conamine visus
Pupilla, tantæ WOLSCIVS *Noster Deæ.*
Hûic aditus monstrat felices Sidus Auitum
Miechouiano purpurascens Symbolo.
Scilicet Ideam Crucis vltro Sidera portant
Versimq; fixis Cornibus Crucem notant.
His ergo felix radijs lucisq; nitore,
I, perge faustos Nubis expertes dies.
Non Tibi confuso Pontus fragore nocebit,
Nil contumaci Caurus & lapix freto.
Non quæres Pollucis opem, vel Castoris vllam,
Nec temperati prodromam pacem Poli,
Sideris ipse Tui ductu, radioq; triumphas,
Tibiq; pulchram monstrat in Cælos viam.
Huc propera, sero, (licet inter gaudia) passu
Te vult perennem publicus sibi fauor,
Id Tibi cunctorum conatu vota diurno,
Hoc & Clientis pectus intactum vouet,
Viuas Longæuos, Longæui Nestoris annos
Numeraq; seras aureis horis dies.





